

obligatio hæc oriatur ex aliquo titulo justitiæ; nam tunc, quantum ad conscientiam spectat, non est necessaria sententia judicis; tamen, si ultra hoc aliquid fuerit pœnale, vel redundans in personas innocentes ex errore totius communitatis, non existimo teneri ad hanc restitutionem, prius quam condemnentur. Addunt vero Sylvest. et Angelus cum Gemiano, hanc pœnam extendi ad omnes cessationem imponentes sine justa causa, etiamsi textus tantum de Capitulis loquatur. Quod existimo verum quantum ad obligationem restituendi ortam ex actione injuriosa; quantum vero ad pœnalem, arbitrio superioris standum erit, quia non oportet extendere legem pœnalem ultra personas, de quibus loquitur.

16. *Quam pœnam incurrat qui cessationi causam dedit.* — Ultimo declarandum est, quando cessatio juste lata est, quam pœnam incurrat is, qui causam dedit. Respondetur, primum teneri ad omne interesse personis, et Ecclesiæ, cui debitum officium ejus culpa est subtractum. Deinde, arbitrio superioris condemnandum esse in aliqua quantitate convertenda in augmentum divini cultus. Unde constat, priorem partem restituendam esse statim, quia non est propria pœna, sed re-compensatio damni illati; aliam vero partem requirere judicis condemnationem, ut in textu expresse dicitur. Ex quo recte confirmantur, quæ in proximo puncto diximus.

## SECTIO IV.

A quo, et quomodo tollenda sit cessatio a divinis.

1. *Quis possit cessationem tollere.* — Cum cessatio nunquam sit a jure, ut supra dixi, sed ab homine, in modo relaxationis ejus servanda sunt principia posita circa ablationem censuræ ab homine impositæ. Itaque solum tolli potest ab eo, qui illam posuit, vel successore ejus, si ille decessit, vel etiam a superiore; reliqui enim jurisdictionem non habent, nisi per delegationem committatur, quod etiam fieri potest; quæ omnia clara sunt ex dictis. Denique in modo tollendi nulla est præscripta forma. Solum oportet, ut iudex voluntatem suam sufficientibus verbis explicet, sicut de aliis diximus, est enim eadem ratio. An vero sufficiat solum factum ejus, qui cessationem tulit, non servando illam, jam diximus superiori sectione, non sufficere.

2. *An cessatio aliquando per se tollatur.* —

Quæri vero potest, an sine hujusmodi relaxatione interdum ipso facto ac per se tollatur cessatio. Dicunt enim aliqui, si lata sit ad certum tempus, vel sub conditione, donec hoc vel illud fiat, elapso tempore, vel impleta conditione, statim per se cessare. Dico tamen repugnare huic cessationi ferri ad determinatum tempus, quia solum ferri potest, ut recedatur a contumacia. In quo nullum est certum, ac præfixum tempus; nam, quocumque assignato, si prius tollatur contumacia, tollenda erit cessatio. Semper ergo fertur sub illa conditione tacita, vel expressa, *donec fiat satisfactio*; ergo vel dicendum est semper cessare per se facta satisfactione, et consequenter nunquam esse necessariam relaxationem, nisi forte quando iudex ob aliam causam rationabilem voluerit eam tollere, etiam durante contumacia; vel dicendum est, nunquam per se cessare, donec a iudice revoce-tur, quia non est major ratio de una, quam de alia. Primum autem horum non est probabile; repugnat enim communi usui Ecclesiæ: secundum ergo dicendum est. Et hoc censeo verum, sicut de propriis censuris dixi, est enim hic eadem ratio. Unde hæc sententia licet feratur in eum finem, non tamen est prohibitio conditionalis, sed absoluta, quæ tollenda est a iudice, quando necessitas illius cessaverit. An vero in aliquo casu speciali jus ipsum tollat cessationem, circa finem præcedentis sectionis dictum est.

3. *An cessatio suspendi queat per appellationem.* — *Panormitan. refutatur.* — *Conclusio.* — Quæri vero potest, an cessatio interdum suspendi possit. Quod potest intelligi, vel per appellationem, vel per voluntatem iudicis. Prius punctum attigit Panormitanus, in d. c. Dilectis, et negat posse suspendi per appellationem, licet interdictum possit. Et rationem differentię reddit, quia cessatio est quid facti, interdictum autem quid juris. Sed aut loquitur de appellatione subsequente sententiam, vel antecedente. De priori falsum est dicere, suspendere interdictum, ut constat ex c. Is cui, de Sent. excom. Magisque posset dubitari, an suspendat cessationem, quia non est censura; tamen idem vere de illa dicitur, quia secum affert executionem, in quo assimilatur censuræ. Si vero loquamur de appellatione antecedente, illa non proprie suspendit, sed impedit interdictum, ita ut si feratur, nullum sit ex defectu jurisdictionis, ut supra visum est. Idem autem videtur dicendum de cessatione, ex eodem principio,

quod appellatio illa etiam subtrahit jurisdictionem, ut sensit bene Covarr. supra.

4. *De suspensione ex voluntate ferentis.* — Suspendio autem ex voluntate ferentis cessationem, aut intelligi potest de tota cessatione per aliquod tempus; et sic non videtur habere dubium, quia est veluti absolutio ad reincidentiam. Aut esse potest suspensio ex parte quoad aliquos effectus, vel personas, non auferendo omnino necessitatem. Et sic res est magis dubia. Tamen probabilius videtur posse fieri, quia per se, et quasi ex natura rei nulla apparet repugnantia, et aliunde qui potest tollere totum, potest etiam tollere partem. Item, quia hæc solum est quædam prohibitio ejus, qui potest dispensare, vel respectu alicujus auferre, qui eam tulit, si causa rationabilis interveniat, et aliunde non impediatur. Hic autem nullum est impedimentum; debet enim esse aliquo jure latum; nullum autem est jus Pontificium hoc prohibens ordinariis Prælatibus. Præsertim quia cum cessatio sit potius quid facti quam juris, non est in jure cautum, quod nunquam coarctetur aut suspendatur. Dices, in c. Non est vobis, de Sponsalibus, expresse dici: *Nulla divina officia permittatis aliquatenus celebrare.* Respondetur primum, ibi non esse sermonem de omni cessatione, sed de quadam, quam in quodam speciali facto Summus Pontifex sua auctoritate poni mandabat, in qua merito potuit potestatem dispensandi, vel limitandi illam inferioribus auferre. Deinde, licet daremus id generaliter intelligi, dicendum esset explicari jus ordinarium cessationis generalis, non tamen ideo prohiberi Prælatibus, quin ex justa causa possint effectum ejus suspendere, et limitare.

## DISPUTATIO XL.

## DE IRREGULARITATE IN GENERALI.

1. *Quamvis irregularitas censura non sit, est tamen actus clavium, et similitudinem habet cum censuris, ideoque hic tractatus ad hujus operis consummationem necessarius est.* Scripserunt autem de hac re Scholastici aliqua in 4, dist. 22 et 25. In jure etiam canonico nullus invenitur proprius titulus de irregularitate, quamvis in multis decretis pœna hæc propter varia delicta imponatur, in quibus locis materia hæc ab expositoribus tractatur, præsertim a Covar. in Clement. *Si furiosus*, et ab aliis in cap. Is qui, de Sent.

excom., in 6; a Gratiano vero, et interpretibus attinguntur multa, dist. 26 et seq. Speciales vero tractatus de hac re scripserunt Maiolus, Paulus Burgasius, Villadiego, et Nicolaus Plovius, et hic refertur in tom. 14 Tractatum, ubi etiam habetur alius D. Antonini, qui sumptus est ex 3 part., tit. 28. Omnes etiam Summistæ materiam tractarunt in verb. *Irregularitas*, et Navarr., c. 27, n. 190 et sequent., et Summa confessorum, lib. 2, tit. 4, a quæst. 21. Solus Cajetanus in sua Summa irregularitatem fere prætermisit, quia irregularitas, inquit, non culpa, sed pœna est, nec spectans ad confessores, quia pariter absolvuntur a peccato regulares, et irregulares. Sed quanquam irregularitas per se non impediatur absolutionem, nihilominus ejus notitia necessaria est confessori, ut sciat vincula omnia seu impedimenta, quibus pœnitens potest esse affectus, et obligationes, quæ inde oriuntur. Sicut etiam suspensio per se non impedit, quin suspensus absolvi possit a peccatis, et nihilominus ejus notitia necessaria est confessoribus.

2. In hac ergo materia primo generalem doctrinam de irregularitate trademus, essentiam, causas, effectus, divisiones, et modum illam auferendi, explicando, quod in duabus primis disputationibus absolvemus; in reliquis vero de singulis irregularitatibus dicemus. Nam, licet aliqui impossibile existimaverint, omnes irregularitates numerari possunt, quia necesse est illas in jure contineri, juxta cap. Is qui, de Sent. excom., in 6. Unde, sicut auctorum studio omnes excommunicationes juris numeratæ sunt, et expositæ, ita etiam eorumdem adjuti diligentia, conabimur omnes irregularitates explicare.

## SECTIO I.

Quid sit irregularitas, et qua potestate introducta sit.

1. *Significatio vocis irregularitatis.* — Primo circa nominis etymologiam, constat irregularitatem a regula, seu regulare, dictam esse, addita præpositione, *in*, quæ vim habet significandi privationem; est enim irregulare quod intra regulam non continetur, ex quo sumpta est vox abstracta, irregularitas, ad significandum impedimentum, ratione cujus homo fit incapax illius gradus, vel actionis, quæ aliis communis est, atque ita extra generalem regulam constituitur. In qua significatione adeo generali impedimenta legalia,



quæ erant in lege veteri, dici solent communiter irregularitates legales; et in hac amplitudine censuræ omnes, multaque alia impedimenta possent dici irregularitates; tamen ex usu Ecclesiæ usurpata est hæc vox ad significandam specialem quamdam inhabilitatem, ratione cujus fidelis excluditur, ne ad clericatum assumatur, quod est extra regulam fieri. Ita exponunt hanc vocem communiter scribentes in hac materia. Quanquam Abul., Math., quæst. 11, 6, dicat, hanc notam seu maculam vocari irregularitatem a causa, non ab effectu, scilicet, quia causatur per hoc quod agitur contra regulam Ecclesiasticæ disciplinæ. Sed hoc non est semper necessarium ad irregularitatem, ut videbimus. Aliter Nicolaus Plovius, num. 1, inquit, irregularitatem dici, quasi contra regulam Ecclesiæ natum, sive propter factum vel defectum extra Ecclesiam positum. Sed illud prius et violentum est et nimis restrictum; posterius vero cum communi interpretatione coincidit, dummodo extra Ecclesiam exponatur, id est, extra Ecclesiasticam regulam seu ordinem.

2. *Definitio irregularitatis.* — Supposita ergo vocis significatione, in explicanda re, quid scilicet sit irregularitas, varii sunt auctores, ut videre licet fere in omnibus allegatis, et Hostiens., in cap. 2 de Cleric. excom. ministr.; Alberto Trocio, de Vero et perfecto clerico, cap. 2, num. 2; Soto, 4, dist. 22, art. 1, et dist. 25, quæst. 1, art. 2; Ledesma, 2 part. 4, quæst. 26, art. 2; Viguerio, cap. 16, § 6, versic. 6; Archidiacono, in cap. 1 de Sent. et re judic., num. 5; Cardin., in Clem. 1 de Homicid., num. 16 et 17. Quorum omnium verba referre et inter se conferre, rejiciendo superflua in aliquibus, et in aliis addendo quæ desunt, prolixum esset et infructuosum. Et ideo breviter sic definienda videtur irregularitas: *Est inhabilitas seu impedimentum canonicum ex se directe ac primario impediens acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, et consequenter etiam usum eorum.* Hæc definitio sumitur ex citatis auctoribus, nam in re hoc dicunt, licet variis verbis. Ponitur autem loco generis, *inhabilitas aut impedimentum*, quia et omnis irregularitas impedimentum est, et multa alia sunt impedimenta, quæ non sunt irregularitates, ut explicando cæteras particulas loco differentiarum positas declarabitur. Non est autem positum loco generis, quod sit pœna, quia non est hoc de ratione irregularitatis, neque omni irregularitati convenit; imo si aliqua id habet, est

accidentarium ad essentiam ejus. Et eadem ratione non est positum, quod sit censura, quia omnis censura pœna est, et ideo si esse pœnam non est de ratione irregularitatis, multo minus esse poterit, ut sit censura; imo cum aliqua irregularitas possit esse pœna, nulla tamen est proprie censura, ut ex dicendis amplius constabit.

3. *Incapacitas ad Ordines orta ex jure divino non est irregularitas.* — *Peccatum non est irregularitas.* — Addimus vero hoc impedimentum debere esse canonicum seu Ecclesiasticum; quoniam ut sect. 4, late dicturi sumus, irregularitas jure humano introducta est; certum est autem non potuisse introduci jure civili, aut temporali potestate, quæ de spiritualibus rebus, ut sunt Ordines Ecclesiastici, et clericorum status, nihil per se disponere potest; est ergo jure canonico introductum. Per hoc autem excluditur in primis omnis incapacitas ad Ordines suscipiendos, quæ ex divino jure orta est. Omnis enim homo non baptizatus est inhabilis ad Ordines, nam incapacitas est inhabilitas; illa vero irregularitas non est; quia illud non est impedimentum canonicum, sed divinum. Similiter fœmina est inhabilis ad Ordines, et tamen irregularis proprie non est, ob eandem causam. Quam ita etiam explicare possumus, nam hæc inhabilitates sunt veluti negationes quædam et impotentiarum; irregularitas autem esse debet per modum privationis, ita ut in subjecto supponat capacitatem, et illud prius vet morali modo exercitio seu usu talis capacitatis. Nec vero omne impedimentum, quod capacitatem supponit, vera irregularitas est; nam peccatum mortale impedit suo modo susceptionem Ordinum, saltem sacrorum, quia non potest, qui illud habet, illos digne et sine novo peccato suscipere, ut sumitur ex cap. ult. de Temp. ord.; et D. Thom. in 4, dist. 24, quæst. 1, art. 3, de omnibus Ordinibus id affirmat, et merito, supponendo quemlibet illorum esse verum sacramentum; et tamen peccatum mortale non est irregularitas, nam irregularitas per se non est culpa, quamvis posset esse culpæ effectus, et peccatum non habet ex aliqua Ecclesiastica lege, quod tale impedimentum sit, sed natura sua, et ideo per illam particulam optime rejicitur a definitione. Quapropter necessarium non est addere, irregularitatem esse tale impedimentum, ut etiam post pœnitentiam impediat, ut per hoc significetur, peccatum, quod per pœnitentiam aufertur, non esse irregu-

laritatem. Licet enim hoc verum sit, ut disputatione sequente, sect. 4, dicemus, tamen in definitione hac non est necessarium, quia peccatum sufficienter excluditur per dictam particulam, et in definitione non sunt omnia inculcanda.

4. *Impedimentum natura sua impediens Ordines non est irregularitas.* — *Indecentia quam jus supponit, licet reddat ordinationem peccaminosam, non est irregularitas.* — Denique per illam particulam excluduntur quæcumque alia impedimenta, quæ absque ulla institutione humana natura sua impediunt susceptionem Ordinum, vel usum eorum, ut, v. gr., si homo careat membris necessariis ad ministerium Ordinis, vel aliquid simile. Oportet autem advertere hoc impedimentum aliquando tale esse, ut omnino impediatur Ordines, ita ut valide recipi non possint, de quo jam generatim dictum est. In particulari autem tractare de his impedimentis, quæ irritant susceptionem Ordinum, non est hujus loci; nam quædam sunt certa, ut sunt supra posita, scilicet defectus baptismi, aut sexus fœmineus, item defectus intentionis seu voluntatis, qualis est in homine invito, vel in adulto dormiente, qui nunquam de Ordinibus deliberavit. Alia vero sunt dubia, ut de perpetuo amente, aut trunco manibus, vel quocumque alio, qui habeat impotentiam perpetuam ad usum Ordinum, de quibus omnibus, nobis dicere satis nunc est, si sunt impedimenta irritantia Ordines, vel natura sua, vel divino jure, non esse irregularitates. Alia vero sunt impedimenta, quæ licet non reddant hominem omnino incapacem, reddunt tamen aliquo modo ineptum, ut decenter et digne ordinari possit, quæ indecentia in rebus ipsis existit; non enim introducitur ab humano jure, sed potius ab Ecclesia considerata est ad tale jus introducendum, quia non sine causa, et fundamento in re ipsa illud introducit, argumento Regulæ, *Sine culpa*, de Reg. jur., in 6, cap. 2 de Constitut., cap. Quæsiuit, de His quæ fiunt a major. part. Cap., l. Quisquis, § 1, C. Ad leg. Jul. Majest., l. Sancimus, C. de Pœnis, et dicemus late sectione sequente. Hæc vero indecentia, quæ ante jus positivum supponitur, interdum potest esse tanta, ut ex se reddat ordinationem peccaminosam, vel ex parte susipientis, vel ex parte dantis, ut est ignorantia, etc., et hæc etiam sub hac ratione non est irregularitas, quia est plusquam canonicum impedimentum, et quasi incapacitas quædam, et idem

est de similibus. Alia vero est indecentia, quæ ex se sola non est sufficiens, ut reddat susceptionem Ordinum illicitam intrinsece, ut est, v. gr., defectus natalium; adjuncto autem canonico jure, talis conditio impedit omnino susceptionem Ordinum. In hoc ergo sensu dicitur irregularitas esse impedimentum canonicum.

5. *Irregularitas non est censura.* — *Speculator rejicitur.* — Additur vero in definitione, *directe impediens*, etc., quia, ut diximus agentes de censuris, hæc impedimenta canonica sunt veluti privationes quædam, quæ non nisi per ordinem ad positiva explicari, et inter se distingui possunt. Et quia sunt etiam Ecclesiasticæ prohibitiones, et morales impotentiarum, ideo per ordinem ad actus seu effectus declarantur. Irregularitas ergo est juridica quædam ineptitudo ad recipiendos Ordines, et ideo dicitur directe impedire Ordinum susceptionem. Unde intelligi potest illa particula, *directe*, posita ad distinguendam irregularitatem a censuris; nam illæ etiam sunt impedimenta canonica respectu aliquarum rerum vel actionum Ecclesiasticarum; tamen directe non impediunt susceptionem Ordinum, sed excommunicatio privat communicatione fidelium, interdictum auditione divinorum, suspensio muneribus sacris, et ideo nulla illarum irregularitas est. In quo graviter erravit Speculator, qui, ut Navarrus refert, dixit, omnem illum, qui censura ligatus est, esse irregularem; nam, licet hoc dici possit, latissime illa voce utendo ad significandum omnem exclusum a quolibet generali canone vel regula, non tamen in proprietate juris canonici, in quo neque irregularitas censura est, ut supra est dictum, neque etiam censuræ sunt irregularitates, ut ex eodem principio sequitur, et ex dicendis magis constabit.

6. *Dubium.* — *Sylvestri responsio.* — *Rejicitur.* — Superest vero difficultas, quia aliqua censuræ privant directe susceptionem Ordinum, et usu illorum. Propter hoc Navarr. addendum putavit in definitione, *quatenus Ordines sunt*, ut per hanc particulam excludantur censuræ. Quod quidem respectu excommunicationis optime satisfacit; nam excommunicatio major privat quidem directe et vi sua receptione et usu Ordinum, non tamen formaliter ut tales sunt, sed quatenus sunt communicationes quædam cum aliis fidelibus, nec sine communicatione fieri possunt. Excommunicatio item minor directe non pri-

vat usu Ordinis, nisi quatenus habet adjunctam receptionem alicujus sacramenti, ut in proprio loco diximus. Quamvis autem privet susceptione sacramentorum, et consequenter Ordinum, non tamen quatenus Ordines sunt, sed vel quatenus sunt communicationes, ut dictum est, vel etiam quatenus sunt sacramentum, ut sic, et consequenter tantum ac secundo quatenus sunt Ordines, quo titulo posset etiam per illam particulam (si addatur) excludi peccatum mortale. Non videtur autem illa particula sufficiens ad suspensionem ab officio excludendam, quia non videtur posse negari, quin directe privet usu Ordinum. Respondet Navarr. privare quidem usu Ordinum, non tamen quatenus Ordines sunt, sed quatenus sunt officia Ecclesiastica. Sed licet hoc apparenter dici possit de suspensione, quæ adæquate suspendit ab officio, non tamen de suspensione, quæ specialiter est ab Ordine, quia usus Ordinis essentialiter est Ecclesiasticum officium, et tale officium; hæc vero suspensio, ab hoc officio Ecclesiastico, ut tale est, suspendit, ideoque non suspendit ab alio, et ideo non videtur posse privare magis directe Ordinum ministerio. Unde hoc fortasse argumento coacti, Sylvester, et nonnulli alii Summistæ dixerunt, irregularitatem differre a suspensione tanquam includens, et inclusum, quia irregularitas includit suspensionem quatenus privat usu Ordinum, et aliquid addit, scilicet, carentiam Ordinis, quo non privat suspensio. Sed hi auctores et supponunt falsum; supra enim ostensum est suspensionem etiam impedire novi Ordinis susceptionem; et non declarant rei essentialitatem et definitionem. Nam si intelligant irregularitatem formaliter includere suspensionem, falsum docent, quia hæc sunt impedimenta canonica in jure formaliter diversa. Si vero solum intelligunt materialiter irregularitatem aliquid efficere, quod facit etiam suspensio, verum dicunt, sed non declarant, quo diverso modo illud efficiat, nec quomodo hæc differentia in definitione contineatur, quod necessarium est.

7. *Aliorum responsio.* — Propter hæc ergo alii censent necessarium esse in definitione addere particulam, *perpetuum ex se, ut per* illam distinguatur irregularitas ab omni censura. Nam per effectus nude seu materialiter sumptos non potest satis, et in universum distinguere, ut videtur probare discursus factus; ergo oportet, ut veluti genere potius quam specie ab eis distinguatur. Sic enim

suspensio per genus suum ab irregularitate distinguitur, quia nimirum censura est, irregularitas autem non est censura; ergo et e converso irregularitas distinguetur a censura per genus suum proprium seu proximum. Nam impedimentum canonicum est quasi remotum et universale genus, quod immediate distinguere potest in censuram, et illud impedimentum, quod censura non sit; est autem de ratione censure, ut sit impedimentum de se non perpetuum, quia est medicinalis, et consequenter auferenda, si homo recipiscat, ut in superioribus visum est; optime ergo impedimentum de se perpetuum immediate condistinguetur a censura (sive divisio sit adæquata, sive non), et sub hoc proximo genere continebitur immediate irregularitas, et per illud distinguatur a suspensione, si illa particula in definitione addatur. Et consequenter, licet conveniat cum suspensione in dicto effectu, differt tamen in modo, quia efficit illum ut perpetuum.

8. *Refellitur.* — Nihilominus hæc particula a nobis prætermittitur, tum quia Doctores communiter illam non addunt, et definitiones sumendæ sunt, quoad fieri possit, ex communi sensu sapientum, et præsertim in his rebus moralibus, quæ ex jure pendent, in quibus periculosum est definitionem statuere, ut dicitur in l. Omnis definitio, ff. de Reg. jur. Tum etiam quia ex illa particula possunt oriri aliæ difficultates, vel ambiguitates, ut an defectus ætatis sit irregularitas, cum non sit perpetuus, et an infirmitas non perpetua possit inducere irregularitatem, et similia, quæ non sunt in definitione inculcanda. Tum præterea quia illa particula necessaria non est ad prædictam difficultatem solvendam, ut ostendam. Tum denique quia per illam non omnino satisficit difficultati positæ, quia potest dari suspensio perpetua, quæ per illam particulam non excluditur. Idemque argumentum est de depositione verbali a jure lata, quia est impedimentum canonicum, et perpetuum usum Ordinum auferens. Dico autem, a jure lata, quia illa quæ fertur ab homine, per hoc satis distinguitur ab irregularitate, quæ ut infra dicam, non fertur ab homine. Unde cum dicitur esse impedimentum canonicum, potest cum hoc rigore intelligi, id est, jure canonico ipso facto impositum. Hoc autem commune est depositioni ab eodem jure eodem modo imposita.

9. *Aliquorum evasio.* — *Eluditur.* — Respondent vero aliqui, concedendo suspensio-

nem perpetuam et depositionem verbalem absolutam non distinguere ab irregularitate, et ita in jure sæpe ferri irregularitatem, per verbum depositionis, seu *deponatur*; sed de comparatione depositionis cum suspensione perpetua satis in superioribus diximus. Quod vero ad irregularitatem attinet, difficilis est illa responsio. Primo quia in jure (juxta communem interpretationem) hæc pœnæ, sicut diversa habent nomina, ita distinctæ censentur, et variis delictis vel causis accommodantur. Ut enim dicitur in l. Si idem, C. de Codicillis: *Si idem codicilli, quod instrumenta possent, cur his instrumentis diversum vocabulum mandatur?* ita nos in præsentem argumentari possumus. Secundo, quia sola diversitas, quod imponatur a jure vel ab homine, non variat rationem pœnæ, aut Ecclesiastici impedimenti, ut exemplis constat, in excommunicatione majori a jure, vel ab homine lata, et similibus. Ratione item patet, quia homo vel jus sunt causæ extrinsecæ efficientes, quæ non variant per se effectus, si in aliis omnibus conveniunt. Præsertim quia homo seu judex est quædam animata lex, quæ eandem suspensionem, vel depositionem imponit, quam lex ipsa solet imponere; si ergo illam pœna a jure posita est irregularitas, cur non etiam ab homine imposita? Tertio, quia in multis aliis differunt. Nam omnis suspensio et depositio semper est pœna, et sub hac ratione tantum imponitur; irregularitas autem sæpe non est pœna, ut omnes fatentur, et nunquam est tantum pœna; imo neque unquam fortasse sub ea ratione primario imponitur, sed tantum accessorie minus principaliter, ut infra ostendemus. Deinde omnis suspensio etiam perpetua, est propria clericorum, ut supra ostensum est; irregularitas autem de se complectitur laicos; imo accidentarium illi est, quod persona, cui advenit, Ordines habeat. Præterea inter suspensionem perpetuam a jure, et irregularitatem, est alia differentia manifesta, quod irregularis celebrans non contrahit aliam irregularitatem, ut infra dicam; suspensus autem celebrando efficitur irregularis, ut supra dictum est. Unde Sixtus V, in Motu proprio contra male promotos, cum in eos perpetuam suspensionem tulisset, subjungit, eos sic celebrantes fieri irregulares; in quo non inducit novum jus, sed supponit antiquum, ut ex verborum tenore satis constat. Quin etiam Pius II similem suspensionem tulerat in quosdam male promotos, et qui

illam contrahebant, et ita ministrabant ex officio, fiebant irregulares, ut ibidem dicitur, et tradit Navarr. in Summa, cap. 25, n. 70, et Villadiego, tract. de Irregularitate. Hæc ergo omnia satis indicant esse aliquam differentiam moralem inter hæc duo, etiamsi præcise considerentur ut ipso jure lata; ergo, si definitio posita cum particula *perpetuum*, adhuc communis est suspensioni perpetuæ, et depositioni jure latis, conveniens non est nec sufficiens.

10. *Vera dubii resolutio.* — Respondeo igitur, irregularitatem sufficienter distinguere a suspensione seu depositione per illam particulam, *directe ac primario impediens acceptionem Ordinum.* Quod ut declarem, adverto, suspensionem (in tota ejus latitudine acceptam) in hoc per se differre ab irregularitate, quod suspensio solum respicit actus, eorumque usus prohibet; irregularitas vero quantum est ex se, ipsam capacitatem Ordinum aufert, et constituit hominem extra ordinem eorum, qui ad clericatum assumi possunt. Ita enim (ut hoc obiter dicamus) accipienda est illa particula, *Ordinum Ecclesiasticorum*, ut includit non solum sacramentales Ordines, sed etiam primam tonsuram, quam nunquam impedire potest suspensio, quia cum suspensio solis clericis possit imponi, necessario supponit primam tonsuram; irregularitas vero illam impedit, atque adeo totum clericalem statum; sic ergo per illam particulam excluditur omnis suspensio. Circa depositionem vero stricte sumptam, seu degradationem, advertendum est in moralibus longe aliud esse non admittere personam ad aliquem gradum, et ejicere illum a tali gradu postquam admissus est, quod moraliter contumeliosius est, majoremque pœnam indicat, juxta commune proverbium, *Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes*, quod etiam allegavit Pontifex in cap. Quemadmodum, de Jurejurando. Unde, sicut Theologi dicunt, hominem lapsum differre ab homine in puris naturalibus sicut nudatum a nudo, ideoque carentiam originalis justitiæ habere in homine lapsa majorem rationem privationis et mali, ita concipiendam censeo, servata proportione, differentiam inter irregularitatem, et depositionem quæcumque; nam irregularitas impedit acceptionem Ordinum; depositio vero privat (eo modo quo jure humano fieri potest) Ordinibus jam acceptis, ita ut non usum tantum suspendat, sed ipsam etiam potentiam quodammodo tollerare videatur, ut supra in propria disputa-